



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

28. Quid in genere requiratur, ut beneficium vacet per obitum alicujus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

concipiendâ supplicatione, & quæ nusquam trahitur ad mortem civilem seu fictam. Card. de Luca. *de benef. d. 16. n. 10.* (ubi etiam, quodd vocabulum *obitus* frequentius adhibeatur ad distinctionem vocabuli *mortis*, sub quo tanquam latiori mors civilis etiam venit, juxta *decis. Rot. 543. n. 2. p. 2. recent.*) *Lott. cit. q. 10. n. 11. & 12.* Porro ut in his omnis profus exterminetur nedum æquivocatio, sed & aliter interpretandi occasio, narrativam per congeriem quandam terminorum expressivorum mortis naturalis sic concipi & efformari ait *Lott. n. 14. per obitum quondam N. illius, dum viveret, ultimi possessoris, extra curiam Rom. tali mense defuncti.* quippe dictio quondam relata ad hominem seu personam, denotat eam inter mortales esse desisse. *c. cum contra. de pignor. Lott. n. 15.* Idem apertius significant verba illa, *dum viveret, & terminus ille, defuncti;* defunctum enim esse idem est, ac diem ultimum obiisse, & diem obire pro *mori* sumitur. *Lott. n. 16. & seq.* Unde &, cum literæ expediuntur, dicta clausula sic consuevit extendi: *per obitum dicti N. qui extra curiam Rom. de tali mense diem clausi extremum, vacavit, &c.* extremus enim dies mortem eandem naturalem significat. *Lott. n. 21. & 22.*

2. Secundò: de cetero sub nomine *mortis* venire solet mors etiam civilis, quando nomen *mortis* exprimitur à lege, sicut si ab homine; in dispositione enim hominis mortem naturalem solum attendere debemus. Card. de Luca *loc. cit. n. 7. & 8.* ubi etiam, quodd cum regulæ Cancellariæ inducentes reservationes non clausas in corpore juris, hominis potius (Papæ nimirum pro tempore existentis, qui eas edere solet duraturas pro tempore vitæ suæ, & post mortem suam expiraturas) quam legis dispositionem contineant, dum nomen *mortis* simpliciter usurpant, intelligendæ sunt de morte naturali. Hic tamen etiam notanda doctrina generalis, quam tradit Laym. *in c. susceptum. de rescrip. in 6. ex Suar. de LL. l. 8. c. 28.* spectandam nimirum materiam subiectam, eò quodd ad illam accommodari solent verba, & præcipue spectandum, an sit materia ambitiosa, vel etiam periculosa, ex qua sumi possit occasio ad multiplicandas lites vel peccata; ut nimirum tunc verba coarctentur; præterea circumstantias omnes causarum, personarum attendendas diligenter esse; quia hæc omnia conferunt tum ad significationem verborum, tum ad mentem principis intelligendam. Et sic juxta hæc, ut ait *ibid.* Laym. *n. 3.* resolvi posse: si à fundatore mandatum, vel à Capitulo aliquo legitime statutum sit, v. g. ut post mortem alicujus beneficiati persona talis qualitatis substitueretur, vel persona substituta in locum defuncti tale onus aut commodum ferre debeat; num idem quoque extendi deberet ad eos, qui in beneficio succedunt per resignationem; se autem arbitrari, non posse regulam generalem tradi, sed ex materia subiecta, & ex circumstantiis, ut dictum, colligendum fore, quæ mens fuerit statuentium; quippe qui sæpè ad juridicam verborum acceptationem non exactè solent attendere, & interdum unam speciem vacationis, nempe per mortem, quæ communiter accidere solet, nominare: ut tamen idem quoque in aliis ob rationis identitatem fieri volunt juxta doctrinam Sanch. *l. 7. de matrim. d. 8. n. 13.* quodd verba posita in dispositione ob frequentiore usum eam non restringant.

3. Respondeo ad secundum primò: Mors civilis nusquam æquipollent naturali (nisi in casibus in jure exceptis. Laym. *in c. susceptum. n. 9.* ubi etiam juxta

*gl. in l. ex ea parte. §. insulam. ff. de verb. signific. quodd appellatione mortis intelligatur mors naturalis, non civilis) neque sub nomine mortis naturalis unquam venit civilis, nisi in casibus, in quibus ita reperitur expressè in jure cautum. Card. de Luca *loc. cit. n. 6.* citans *Old. conf. 284. in fine.* Anchar. *conf. 273. in principio.* Fagnan. *in c. perpetuas. de simon. n. 16.* & *Rot. decis. 543. n. 1. p. 2. recent.**

4. Secundò: tamen mors illa naturalis pluribus contingat modis, quatenus tamen omnes illi modi tendunt ad unum eundemque effectum, nimirum separandi animam à corpore, singuli dicuntur, seu semper dicitur mors naturalis, largo saltem modo. *Lott. cit. q. 10. d. n. 24.* unde licet mors naturalis ea propriè dicatur, quæ ex causa naturali intrinseca, nullâ extrinsecâ adhibitâ vi incurritur. *Lott. n. 28.* illa verò violenta, quæ illatâ tali vi extrinsecâ, ad eoque quodammodo contra naturam, & ex causa aliena quàm propriæ naturæ infertur. *Lott. d. n. 29.* venit tamen appellatione mortis naturalis, prout hoc contra civilem & fictam mortem distinguitur; & sic damnatus penâ capitis, post ejus lutionem dicitur mortem naturalem obiisse. *Lott. n. 32.* ex Baldo, ubi etiam subjungit ex eodem Baldo. *conf. 8. n. 2. & 3. l. 1.* quodd ea mors, quæ infligitur jussu magistratûs in executionem legis, etiam in ea contingat coactio ab agente extrinseco, contraria propriæ naturæ & voluntati, non tamen adhuc dicitur violenta in hoc sensu, quodd non homini sed legi attribuitur (lex enim reum, non homo occidit. S. August. *relatus in c. si homicidium. 23. q. 5.*) lex autem nihil violenter agere intelligatur; sed tunc demum inferatur violentia, quando sine lege quis impellitur. *c. quos Deus. 33. q. 2.*

*Questio 28. Quid in genere requiratur, ut beneficium vacet per obitum alicujus?*

**R**espondeo; vacat per obitum, etiam habentis solum jus in beneficio, constat ex dictis supra, sic vacare dicitur per obitum habentis collationem acceptatam sine possessione. *Gonz. gl. 15. §. 1. n. 31.* citans *Nay. de orat. c. 7. n. 29.* *Paris. l. 10. q. 6. n. 54.* *Rebuff. conf. 48. nu. 1.* &c. econtra non vacat per obitum præsentati nõ instituti & c. *Barb. juris Eccl. l. 1. c. 19. n. 239.* constat item ex dictis supra. Nihilominus vacatio per obitum decedentis in possessione attenditur ad effectum juris conferendi. *Gonz. gl. 15. §. 1. nu. 54.* sic juxta *Tex. Clem. 1. ut lite pend.* dum duo litigant super beneficio, & uterque decedit, vacare censetur per obitum illius, qui decedit in possessione, nullâ habitâ distinctione, num bonum jus habuerit, necne, ut *gl. in cit. Clem. v. possidebat.* & ibi communiter omnes. *Gonz. cit. n. 54.* quia semper possessor præsumitur Dominus, quando de dominio incidenter agitur, juxta *l. 2. c. de probat. Gonz. nu. 55.* citans seipsum §. 3. *proam. d. n. 55.* Item attenditur dicta vacatio in ordine ad reservationem seu effectum regularum Cancell. tertiar. *4. §. 6.* *Gonz. cit. §. 1. n. 59.* ubi, quodd dictæ regulæ locum habeant, & intret earum reservatio, licet verificetur vacatio de solo factò; citatque pro hoc *Simont. de reserv. q. 51. n. 4. & seq.*

*Questio 29. An vacet beneficium per mortem Commendatarii, saltem perpetui?*

**R**espondeo negativè, sed semper vacat ut prius, ita ut non sit attendendus mensis, in quo obiit Commendatarius. *Gonz. gl. 15. §. 2. n. 19.* & plenius